

LVNÆ DIE 15 M. FEBRVARII A. 2010

A.d. XV Kal. Martias a. MMX

I 5 4

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



AD LECTOREM  
DE VSV LINGVÆ LATINÆ



Frequentissima fuit sessio Circuli Latini Bruxellensis die 16 m. Ianuarii habita ; unus enim et viginti fuerunt participes, inter quos nonnulli Vivarii Novi sodales, qui una cum Aloisio Miraglia unam septimanam debebant in Schola Nova. ¶ Cum interessent Latine docentes varii generis, i.e. Aloisius Miraglia Romæ in Vivario Novo, Stephanus Feye in Schola Nova et Melissæ moderatores, mihi in mentem venit argumentum disceptationis afferre hoc : « Quid proponendum sit eis qui Latine didicerunt ». Illi enim tres linguam Latinam vivo modo docent et pueros et iuvenes et seniores ; in quem tamen finem hoc faciant, et quid discipulis offerendum sit post studia Latina perfecta (si fieri potest ut aliquando perficiantur !) patefacere iuvat. ¶ Primus interrogatus, Aloisius suo more thema humanitatis sibi carissimum fuse explanavit. Ad summam putat intimum commercium cum antiquis auctoribus Latinis et Græcis necessarium esse ut naturam humanam melius noscamus ; pro certo habet hanc humanitatem præstare studiis « utilibus », quibus homo aliquo munere fungi potest in hodierna

societate humana, ubi de lucro faciendo solum curatur. ¶ Stephanus Feye suam sententiam deinde patefecit. De humanitate idem sentit ac Aloisius ; magis tamen tendit ad linguæ usum hodiernum ; palam recantare solet linguam Latinam esse traditam Europæorum linguam atque inter eos adhibendam esse. In Schola Nova pueri discunt Latine loqui. ¶ Quod ad me pertinet, cum annis septuagesimis (sæculi præteriti) Latinitati vivæ operam dare cœpi, magister mihi fuit Cælestis Eichenseer, qui nitebatur efficere ut lingua Latina adhiberi posset in omnibus rebus temporis nostri ; quare multos neologismos finxit divulgavitque in variis libris et seminariis. Hic scopus optime congruebat cum consilio meo ; nam tunc temporis credere licebat linguam Latinam, tempori nostro aptatam, usui esse posse Europæis nationibus, quæ unionem politicam creare conabantur. Cum ipse ab anno bismillesimo symposia Latina instituere cœpi et lexicon neologismorum, c.t. *Calepinus Novus*, in lucem edidi, perrexi de usu linguæ Latinæ in vita cottidiana curare. ¶ Post disceptationem omnes assensi sunt usum linguæ necessarium esse, ne habeatur mortua. Iam diu patet linguam Latinam non adhibitum iri in Europæorum rebus publicis, attamen operam damus ut aliqua res publica litterarum in orbe terrarum restituatur. ¶ Manifesto Latinitas viva contra regentium voluntatem multum crevit ac locum suum, etsi parvum, habet in spatio publico : sunt periodica Latina, sunt multæ sedes interretiales, quotannis habentur complura seminaria, symposia necnon itinera Latina ; denique Academia Latinitati Fovendæ curat ut quinto quoque anno instituaturs conventus universalis. ☞

Gaius LICOPPE



# DE LAVDE FVNEBRI LEOPOLDI II BELGARVM REGIS IN VRBE ANTE HOS CENTVM ANNOS HABITA

– quam exscripsit Volfgangus Jenniges –

Nuper est a nostratibus memoratum Belgarum regem Leopoldum, eius nominis secundum, centum abhinc annis, die 17 m. Decembris anni 1909, diem obiisse supremum. Qui princeps Bruxellis anno 1835 natus regnum patre demortuo obtinuit anno 1865, uxorem æstate anni 1853 duxerat Mariam Henricam, nobilissima ex stirpe Habsburgensi oriundam (1836-1902), quæ tres ei peperit filias, Ludovicam,<sup>1</sup> Stephaniam,<sup>2</sup> Clementinam,<sup>3</sup> unumque heredem filium Leopoldum (1859-1869), qui vero nondum decennis obiit fatali morbo correptus.

De ipso autem rege, eiusdemque vitiis et virtutibus, libere inter se disceptent atque disputent rerum scriptores, huius argumenti me profecto peritiores.<sup>4</sup> Addiderim tantum lectoribus nostris hunc regem, barba productissima conspicuum neminique profecto non notum, Congum, Africæ in sinu regionem, et quæ ad Occidentem vergit, post Europæarum potestatum conventum annis 1884-1885 Berolini habitum atque peractum,<sup>5</sup> in propriam primum eandemque prorsus privatam (1885-1908), in regni postea publicamque redigisse dicionem,<sup>6</sup> multas quoque Bruxellarum vias aliarumque in regno civitatum novis ædificiis laute exstructis adeo feliciter ornasse atque illustrasse, ut suis æqualibus parva viderentur Lutetia Bruxellæ,<sup>7</sup> neque, quæ laus isto sæculo est non minima, ullis patriam suam implicasse bellis, intestinas vero ordinum dissensiones æquo semper pacare animo studuisse.

Quæ utcumque se habeant, eius obitus occasione funebres heic evocare iuvat atque exscribere paucisque enarrare laudes, quas die 17 m. Ianuarii insequentis anni 1910 in Urbe coram Pontifice Maximo habuit vir doctus Petrus Angelini Romanus (qui Summorum Pontificum tum erat ab epistulis ad Principes),<sup>8</sup> quæque in Romanis fasciculis Latinis, qui *Vox Urbis* inscribebantur, *Melissæ* nostræ lectoribus iam cognitis,<sup>9</sup> publici iuris sunt factæ. Est profecto laudatio omnibus, ut par est, rhetorum numeris absoluta, ultra modum nimioque, ut nobis quidem videtur, regem vita functum extollens obsequio, secundum illud quod *non nisi bene* de mortuis liceat loqui, Latinitate tamen haud ignobili neque indigna quæ centesimo etiam anno expleto legatur denuo.

Quas laudes ad litteram ex *Vocis Urbis* fasciculo descripsimus,<sup>10</sup> non nullis adnotatiunculis additis.<sup>11</sup>



LEOPOLDI II BELGARVM REGIS

LAUDATIO

HABITA IN ÆDE XYSTINA CORAM SS. D. PIO X  
A PETRO ANGELINI S.S. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES  
XVI CAL. FEBRUAR. AN. MDCCCCX

De Principe Viro verba facturum, cuius nomen memoria Belgicæ gentis excidet nunquam, velim parem rei magnitudini et loci huius maiestati vim afferre dicendi. Qua ingenii facultate etiamsi pollerem, nihilominus et consessus hic orbis terrarum nobilissimus, et augustus præsertim, BEATISSIME PATER, Tui præsentis adspetus nervos omnes virtutis eliderent. Verum erigit cogitatio, honorificum id munus ab Eo mihi fuisse delatum, cuius in vivos benignitas haud minor est quam pietas in mortuos, et complorati Regis laudem imperitia dicentis extenuari non posse, quippe quæ sua luce niteat, non mutuato fulgore, pateatque tam late, ut in ea deesse facundia nemini queat. In uberrima vero copia ad argumentum subiecta conabor summas attingere ac sub uno veluti aspectu ponere, quam bene, civilibus et sacris rebus tuendis, provehendis, LEOPOLDUS rex de sua patria fuerit promeritus.

Olim, quum bella crebrius gererentur atque diuturnius,<sup>12</sup> populorum fortuna tota fuit in re militari posita, eratque prima regibus commendatio ad gloriam si qua ex bellicis rebus comparari potuisset. Nunc vero, positis armis, aut certe ad pacis ornamenta delitescitibus,<sup>13</sup> gratiora sunt ea quæ ingenio ac ratione persequimur, quam quæ viribus. Quapropter hodierna hominum actio in commodis civitatis tuendis maxime cernitur, omnisque agendi cogitandique solertia in eo versatur ut sit vita munitior, atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re indigeamus. Quia vero singulorum facultates et copiarum divitiarum sunt civitatis, hinc maximo in honore habentur et agrorum cultura et earum rerum, quibus abundamus, exportatio, quibus egemus invecio; mercatura magna et copiosa, multa undique apportans multisque impertiens; industriæ omne genus ac studia maxime illarum rerum, quibus excultior fit hominum vita, ipsaque communitas potest singulorum civium vires ad suos usus adiungere.

His bonis affluere Belgas compertum est omnibus, præsertim ab annis quinque ac viginti, ex quo rerum publicarum administratio per catholicos geritur<sup>14</sup> ea felicitate, ut vix gentem reperias quæ cum hoc populo angustis finibus circumscripto sit comparanda. Adeo parum firmamenti habent coniectæ ab inimicis criminationes in eos qui causam agunt religionis et iustitiarum, quasi scopulo adhæreant ab omni adscensu humani-

tatis abhorreant ! Iam, si ex florente populi statu licet æstimare principem, magna equidem LEOPOLDO pars est attribuenda laudis. Nec est quod occurratur, in libera civitate, in qua non unius dominatu omnia teneantur, reges esse nomine magis quam imperio. Neminem quippe latet quantum fuerit auctoritatis in Belgico rege ad civium voluntates quo vellet inclinandas, aut unde vellet deducendas.

Dignus igitur suo populo princeps oblatu est Belgis, quem, et ad regiam animi magnitudinem natura finxit, et ad cogitandi agendique solertiam assiduus labor conformavit. Ipsius enim regni diuturnitas, annorum quatuor supra quadraginta,<sup>15</sup> nihil fuit aliud nisi amplitudinis reipublicæ perpetua, sapiens, invicta defensio. Commeatus abundare ; municipia, colonias patere ; maritima augeri commercia ; artes quæ populi studia conciliant et pergratam utilitatem habent cum dignitate coniunctam promovere : hæc omnia ad extremum vitæ anhelitum eius menti animoque insederunt. Quod nisi modus in dicendo mihi quærendus esset, possem rem persequi maximæ molis, quæ, ab exiguis profecta initiis, auspiciis crevit usque ad invidiam felicibus. Deductas, inquam, ad Congi regiones colonias, unde Belgicæ genti multum fortunæ ac dignitatis accessit. Qua in re præclara non desunt iudicia hominum affirmantium, eo prudentiæ et celeritatis LEOPOLDUM processisse in arduis consiliis ineundis perficiendisque, ut pauci eidem pares putentur : et, si latius imperium sortitus esset, magna pollere auctoritate in publicis Europæ rebus potuisse. Scimus quidem, specie utilitatis, in republica peccari sæpissime, ereptoque Regi obiectas fuisse regiones illas Africæ ditissimas ad occidentem solem, sui, ut criminantur, commodi causa, exinanitas et exhaustas.<sup>16</sup> Sed hi verbis augent exasperantque incommoda, quæ in magna procuratione vitari omnia non possunt. Qui si secum reputarent, de huiusmodi negotiis quid historia doceat ; quantum cædis et miseriarum secum tulerint, non dicam reperta America aut illata Indis humanitas, sed hac etiam ætate deductæ ad barbaras plagas coloniæ ; quid ipsi denique obtretractores in simili causa facturi essent ; iam desinerent quærere, cui bono id genus expeditiones fiant, intelligerentque, sacris tantum præconibus relictum esse, ut suo, non alieno cruore, terras a se peragratas conspergant. Iis igitur, qui ex hoc numero non sunt, convenit fere divina Christi sententia : *qui sine peccato est vestrum, primus... lapidem mittat* [Io., VIII,7].

Ceterum suspicio abest ab homine, qui colonorum impotentiam sedulo inhibuit ; qui animi magnitudine et comitate sic enituit, ut communis infimis, altior

principibus videretur ; qui in quovis negotio singulari prudentia ac temperatione se gessit resque summas absolvit, non terrore belli, sed celeritate consilii ; qui reipublicæ rationibus ea sapientia et æquitate providit, ut, non solum Belgis merito esset carissimus, sed apud exterarum gentes gratia et opibus valeret ; qui suæ testes liberalitatis habet profugos e Gallia complures, quibus maximo in bello male mulcatis, afflictis, egenis regiam patere domum voluit suaque pecunia opitulari.<sup>17</sup> In hominem igitur ea natura comparatum, de quo viri gravissimi tot ac tam præclara iudicia fecerunt, hæc plane non cadunt.

Dixi Cæsaris laudes. At vereor ne solemnia pietatis, habita in hac æde sanctissima, longe aliud exquirant. Dicam ergo de catholicæ Ecclesiæ filio, quo maxime nomine Belgæ gloriantur. Belgæ, inquam, « genus hominum fortissimum », ut verbis utar a Gregorio XVI prolatis, quum ei legationi futurum pontificem destinaret, Leonem XIII ; cuius populi, inquit : « Fides et amor erga apostolicam Sedem et erga suos principes multis rebus ac per diu constitisset ». <sup>18</sup> Dignum sane præconium, eventibus comprobatum qui postea sunt consequuti ; quandoquidem, etiam per eos dies quibus Belgicarum rerum administratio in arbitrium cessit adversariorum,<sup>19</sup> et quoties exstitit de religione ac libertate contentio, ne latum quidem unguem a maiorum virtute Belgæ deflexerint nec habuerint quidquam antiquius quam curam transmittendæ ad posteros hereditatis omnium pretiosissimæ, avitæ fidei. Mittam singula persequi existimationis et benevolentiae testimonia, quibus Romani Pontifices eorum in fide constantiam sunt prosequuti, ad recens usque tempus, quo expletum annum quinquagesimum ab adserto Virginis intaminato conceptu celebrarunt ea significatione pietatis,<sup>20</sup> ut a Te, BEATISSIME PATER, meruerint magnopere commendari, quod ceteris populis insigni incitamento essent.

Iam qui fieri poterat ut, cui alienus a religione animus esset, in eaque re non idem cum populo sentiret, huic, non modo tranquilla et pacata omnia in imperio essent, sed tantum admirationis et gratiæ popularis accederet ? Quod si scriptum in sacris litteris legimus : *quum impii sumpserint principatum gemet populus ;* [Prov., XXXIX, 2]<sup>21</sup> contra, communis in LEOPOLDUM amor et publicæ res ad voluntatem fluentes indicia sunt regiæ pietatis. Eiusmodi autem voluntatum conspiratio, ea studia in regem incensa, quum crebro dum vixit, tum vero maxime in obitu, incredibili quadam significatione declarata sunt. Quæ privata domus, eo sublato, luctu et lacrimis caruit ? Quæ vox non desiderium eius memoriamque renovavit ? Quæ viæ

Bruxellensis urbis extinctum patriæ lumen squalore suo non doluerunt? Comploratus nempe rex est mente animoque Belgicus, adeoque catholicus, cuius vita omnis esset patriæ devota, qualem se futurum sponddit in publica contione, quum in patris regnum hereditario iure successit.<sup>22</sup>

Hanc vero, quam initio dederat, egregie præstitit fidem, non modo in iis quæ ad humanioris cultus incrementum, sed etiam quæ ad religionem amplificandam pertinerent. Probe enim intelligens, in catholicæ veritatis professione originem et fontem humanitatis inesse, impense studuit ut ea beneficia, non intra patrios fines continerentur, sed ad recens additos ditio- ni suæ populos manarent; eiusque propagationis ipse auctor exstitit ac libens patrocini- um suscepit. Ex quo illud obtigit, ut Belgæ complures, Regis in exemplum, ad nova studia catholici proferendi nominis per Africam gentem statim exarserint. Hanc autem fuisse LEOPOLDI voluntatem, ut inferendæ humanitatis opus Religioni crederetur, ostendunt tot sacræ phalanges ex variis religiosorum sodalium familiis conflata, quæ ipsius excitamentis erectæ opibusque regia munificen- tia dignis adiutæ, latissimos illos tractus ab errorum caligine ad veritatis lumen deducendos gloriosam sibi metam constituerunt. Quod si tanta eum incessit cupi- do quærendæ salutis dissitarum gentium, iam conii- ci potest quam fuerit de domestica huius generis laude sollicitus. Quamquam, quid opus est coniectura, ubi licet regæ pietatis documenta in illustri posita monu- mento intueri? Quid enim sibi vult moles illa, quæ, in urbe Belgica principe in ædem succrescit sacratissimo Cordi Iesu dicendam, et cum gallico eiusdem tituli templo amplitudine ac splendore certaturam?<sup>23</sup> Exstant Leonis XIII amantissimæ Litteræ, auctorem consilii actoremque præcipuum LEOPOLDUM laudibus exornantes. [Ep. die XIII mens. Martii MDCCCIII.]<sup>24</sup> Atque hoc loco non est prætereunda vetus necessitudo, quæ ipsi cum apostolica Sede intercessit; cuius rei documento sunt datæ ac redditæ utrimque litteræ sæpius. Non potuit quidem in libera civitate constitu- tus impedire quominus ad reipublicæ gubernacula illa- rum partium accederent homines, quorum insanabile ingenium est præiudicatis in Ecclesiam opinionibus detineri. Horum opera factum est olim ut vincula abrumperentur, quæ Belgarum gentem cum Apostolica Sede coniungunt.<sup>25</sup> Verum nec ea tempestate, rex de sua in Romanum Pontificem observantia quidquam remisit: quin etiam constantis fidei significationes ab eo exhibitæ speciem quamdam visæ sunt habere præsa- gii, haud ita multo post felicissime comprobandi.

Idem, quo aperto ac sincero animo erat, de religione quid sentiret dissimulavit nunquam, haud sane oblitus acceptam ab Amelia Matre pientissima<sup>26</sup> iuvenilem in- stitutionem. Qua vero constantia patriæ suæ prosperi- tati se applicuit, usque adeo, ut, vel quum animam ageret, novam legem de scribendis militibus mente agi-

taret eique subscriberet; eadem catholici viri officia usque ad exitum vitæ retinuit. Ad quem se maturius comparavit quam fieri soleat ab iis, qui, dum viverent, indignum suis curis duxerunt in supremum rerum dominum mentem animumque convertere. Itaque exi- tiali morbo correptus medicum obsecravit, si quid in- staret periculi, ne occuleret; velle se poenitentiae sacra- mento admissa expiare et Christi Corpore vesci. Tum vero pie morientium subsidiis per curionis aulici ministerium reffectus, ac supremis, BEATISSIME PATER, apostolicæ Tuæ potestatis et caritatis muneribus per pontificium legatum auctus ac roboratus, postquam conceptissimis verbis atque iterato declaravit, se in catholicæ Ecclesiæ sinu atque in eiusdem communionem fidei, spei, caritatis velle decedere, adstantium se preci- bus commendans, in immortalis spem beatitatis conquievit.

Tam caro capite orbata nunc luget Belgica natio; tanti viri fastigium concidisse dolent ceteræ gentes; coram augustæ mortis tropæo studia partium contices- cunt. Historia testis et iudex de ipso paginam sculpsit, quam nulla temporum fuga delebit. Verum cui solacio ista omnia esse putemus, si defletum super tumulum alma se non erigat Spes, iubeatque confidere, exorna- tum laudibus principem a terrestri hoc domicilio ad piorum sedes migrasse, fruiturum gloria sempiterna? Arduum profecto regendi cuncta onus, et regia virtus eo pluribus est obiecta periculis, quo regni fortuna benignior. Quamobrem haud alienum ab humana infir- mitate putandum est, sive in usu potestatis sive in quotidiano vitæ consortio, in multis offendere atque identidem ab officii religione discedere. Si quæ ab eo, cuius desiderio tenemur, admissa sint, eluat emun- detque tot exorata vocibus divina clementia, præsertim illorum, qui adeptam filiorum Dei libertatem ei debent acceptam referre, quo auspice ac duce nacti sunt salu- tis æternæ ministros. Ad sedes lucis et pacis aditum properet piaculare sacrum, quo summus Ecclesiæ Sacerdos voluit supremum suæ caritatis officium dilecto Filio exhibere. Est interea cur nobilissima Belgarum gens tristitiæ modum imponat, revocetque animum ad illius Viri cogitationem, qui in regnum succedens, non tam hereditate acceptam, quam sua partam virtute cau- sam habet celebritatis et nominis, in quo propterea salus civitatis et gloria maxime nititur. Supremum igitur vale defuncto Regi dicendum ne sit a voto seiunc- tum, quod pro Successoris<sup>27</sup> incolumitate ac fortuna concipimus, quem et bonis omnibus carum, et, quo pollet ingenio, ad optima quæque nitentem suavissima Christi religio informet roboratque; illa, inquam, reli- gio, cui recenti serto redimitæ cervices perinde sunt sacræ ac regales exuviæ corollis aspersæ funereis. ❧

1. Quæ princeps femina (1858-1924) nomen dedit celebri Bruxellensi viæ Ludovicianæ, a rege Leopoldo instructæ.
2. Annis vixit 1864-1945 et nupsit primum Austriæ archiduci Rudolfo qui anno 1889 mortem sibi voluntariam conscivit.
3. Vixit annis 1872-1955.
4. Confer e.g. librum Georgii Henrici DUMONT, *Léopold II* (ed. Lutetiæ 1990), necnon librum recentissimum post doctum conventum editum in quo undeviginti rerum scriptores varia huius argumenti adiuncta tractaverunt : *Léopold II. Entre génie et gêne. Politique étrangère et colonisation* (ed. Bruxellis 2009).
5. Convocatus est hic conventus a cancellario Bismarck ut mercaturæ in Africæ regionibus consuleretur et studia præcipue Angliæ et Galliæ inter se componerentur. Annis 1874-1878 diurnarius Henricus Stanley Congi fluminis tractus primum exploraverat, quo studium coloniæ illuc deducendæ excitatum est. Iussu Leopoldi annis insequentibus totam Congi regionem ad mercaturam atque materiarum commercium informavit.
6. De condicionibus Africis liber est omnino referendus a Ioanne STENGERS conscriptus : *Congo : Mythes et réalités* (Bruxellis ultimum ed. 2007), in quo sine ira et studio integrum tractatur sæculum quod ab anno decurrit 1860 (quo primum princeps Leopoldus de colonia deducenda orationem fecerat) ad annum 1960, quo demum condicionibus minus ordinatis (ne plura dicamus) Congum sui iuris factum est.
7. Vide e.g. recens editum librum Theodorici DEMEY, *Léopold II (1865-1909) : La marque royale sur Bruxelles* (ed. Bruxellis 2009). Qui liber permultis imaginibus oppidi Bruxellensis et antiquis et novis ornatus lectu tam dignus est quam aspectu iucundus. Infeliciter medio sæculo XX Bruxellis multa sunt Leopoldinæ ætatis ædificia deleta, quod non iam novo sæculo convenirent.
8. Annis nempe 1908-1911 ; vixit autem annis 1847-1911 ; cf. quæ fuse de Angelinii vita et operibus mox est relaturus vir doctus Theodericus SACRÉ in libro qui inscribetur *Anthea sive Henrici Sienkiewiczii fabula Tamus ad Ipsum' a Petro Angelinio Latine versa* (ed. Bruxellis 2010, sub prelo Melissæ).
9. *Vox Urbis : de litteris et bonis artibus commentarius* in lucem prodiit annis 1898-1913. Cf. quæ retulimus in *Melissæ* n° 139 (2007), pp. 8-11.
10. *Vox Urbis*, Ann. XIII, Num. II, Romæ, mense Februario MCMX, pp. 17-20.
11. Quæ infra in adnotationibus præbentur, nostra sunt. Adnotatiunculas autem Leopoldi laudibus ab ipso Angelinio additas suo loco posuimus uncis rectis [-] inclusas.
12. In memoriam revocare iuvabit probum Angelinium nostrum, opportunitate mortis adeo felicem, anno 1911 obiisse !
13. Huic profecto spei legitimæ Hagani Conventus illi præbere potuerint ansam qui, auctore Nicolao omnium Russiarum Imperatore, a regina Wilhelmina sunt in Batavorum oppido principe instituti atque convocati, æstate primum anni 1899, anno iterum 1907. Quæ spes quam vana esset et fallax futura, posterius novimus.
14. Cf. quæ adn. 18 attingimus.
15. Re ipsa non amplius 44 annis ; cum ipso die sit mortuus rex Leopoldus, quo anno 1865 regnum inchoaverit (die 17 m. Decembris).
16. Cf. quæ de his refert DUMONT (adn. 4), pp. 275-302.
17. Referre videntur hæc ad bellum a Gallis contra Borussos annis 1870-71 gestum. Cf. apud DUMONT (adn. 4), pp. 127-135.
18. Gregorius XVI, P.M. (1831-1846), anno 1835 legationem pontificiam Bruxellis restituit, cui annis 1843-1845 idem præfuit Ioachimus Pecci, qui postea (1878-1903) Leo XIII rei publicæ Christianæ Summus evasit Pontifex. Annis autem 1880-1884 de libertate docendi in scholis catholicis adeo succreverunt dissensiones, ut vinculum necessitudinis quæ per mutuos legatos inter regnum Belgicum et Romanum Pontificem intercesserat, legatis etiam revocatis, pro rupto habendum esset. Anno tamen 1884 suffragiis datis factio catholicorum iterum principatum in re publica gerenda obtinuit sola (ad annum 1917). Cf. apud DUMONT (adn. 4), pp. 197-207.
19. Adversariorum scilicet catholicæ Ecclesiæ ; annos dicimus præcipue 1878-1884, cf. supra adn. 18.
20. Divus Pontifex Pius X (1903-1914) anno 1904 encyclicas emiserat litteras, quæ a verbis incipiunt « Ad diem illum », quibusque commemoraret quinquaginta ante annos Pium IX P.M. eam pronuntiasse doctrinam, quæ tenet Deiparam Virginem singulari privilegio atque intuitu meritorum Christi ab omni semper originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam. Quæ declaratio anno 1904 (et denuo a. 1954) in orbe catholico est peculiari modo celebrata.
21. Hic irrepsit error ; locus invenitur in *Proverbiorum* capite 29, non 39.
22. De qua oratione, in Senatu habita die 17 m. Decembris a. 1865, vide quæ referuntur apud DUMONT (adn. 4), pp. 93-96.
23. Anno iam 1878 rex Leopoldus ecclesiæ cuiusdam exstruendæ propositum, quæ esset heroibus quibusdam patriis destinata atque dicata, administris suis patefecerat, qui tamen incepto non favebant, neque pecunia ad grande huiusmodi propositum necessaria in promptu videbatur. Anno autem 1902 ex itinere Parisino redux novum rex Leopoldus animo concepit desiderium talis exstruendæ in agro Bruxellensi qualis in Monte Martyrum eminet Parisinorum Basilica. Sacro tamen Cordi Iesu dicata Basilica in vico Bruxellensi *Koekelberg* ex Leopoldi voto ab anno 1905, quo lapis est primarius positus, paulatim exstructa, non ante annum 1970, tholo demum posito, solempni ritu est dicata, postea quam exstrui iam desierunt chorus (a. 1935) et navis (a. 1951). Quod immane prorsus templum quoad magnitudinem quartum, ut videtur, locum obtinet in orbe. Plura apud DEMEY (adn. 7), pp. 335-351.
24. In die apposita est error manifestus : agitur enim de anno 1903. Leo XIII P.M. iam anno 1899 litteris suis encyclicis quæ a verbis « Annum Sacrum » incipiunt, renovato in Cor Iesu fervore pietatem universo indixerat orbi.
25. Conferantur quæ iam in adnotatione n. 18 exponebantur.
26. Agi potius heic videtur de eius avia, *Maria Amelia* ex stirpe Borbonia et Utriusque Siciliæ (nata Casertæ a. 1782, † exsul in Anglia a. 1866), quæ fuit Gallorum regina ab anno 1830. Regis Leopoldi mater (vixit annis tantum 1812-1850 et pthhisi periit) non Amelia sed *Ludovica Maria* vocabatur, regis Gallorum (ex stirpe Aurelianensi) Ludovici Philippi reginæque Mariæ Ameliæ filia.
27. Albertus, eius nominis primus, regis Leopoldi fratris filius, qui regnavit annis 1909-1934.

## DE CÆSARE LOMBROSO (1835-1909)

- scripsit Victorius Ciarrocchi -

Exeunte mense Novembri a. 2009 restauratum est Museum Taurinense « Anthropologiæ Criminalis », quod anno 1892, Cæsare Lombroso impulsore, institutum erat. Qui enim anthropologus, medicus, criminologus anno 1835 Veronæ natus est e parentibus Hebræis atque « Hebræorum navitatem et peculiarem huius gentis messianismum semper servavit », ut Adolfus Zerboglio, eius discipulus, quadam in biographia *De Cæsare Lombroso* (apud Formigini, Romæ, a. 1925, p. 9) scripsit.

Etiam in studiorum curriculo naviter perficiendo eminuit vir ille Veronensis, quem iam adulescentem adeo inter alias disciplinas Latinitas allexit, ut ipsam semper coleret et firmiter censeret etiam a recentiorum temporum hominibus multum deberi « linguæ Latinæ, utpote quæ mirum in modum latius diutiusque propagata sit atque cultum civilem foverit », sicut refert Petrus Aloisius Baima Bollone, medicus et historicus Taurinensis, in libro recentissimo c. t. *Quomodo scelesti hominis naturam Cæsar Lombroso invenerit* (apud Priuli & Verlucca, Scarmagno / Torino, a. 2009, p. 38).

Medicinæ studuit Lombroso Patavii et Vindobonæ : in huius urbis universitate quosdam viros doctos audivit, præsertim Iosephum Skoda, clinices magistrum, et Carolum Rokitansky, eximum anatomopathologiæ doctorem. Qui omnes pro certo habebant causas morborum in aliquibus corporis membris esse inveniendas. « Cui quidem doctrinæ semper favit Cæsar Lombroso », sicut in præfatione libri *Selecta scripta Lombrosiana* continentis (Bollati Boringhieri, Torino, a. 1995, p. 9) scribit Ferrucius Giacanelli. Ceterum Lombroso, qui anno 1858 in Ticinensi universitate studia medicinæ perfecit, librum quendam de gutturis tumore conscripserat demonstrans eos homines, qui hoc morbo sint affecti, corpore et mente graviter laborare : nam corpus non bene crescit hebesque perstat vis animi, quia harum affectionum origo pendet e perturbata glandulæ thyroideæ functione.

Insequenti anno particeps is fuit belli, quod Francogallos Pedemontanosque inter et Austrios gestum est : in militibus vulneratis curandis etiam facultatem artis chirurgicæ satis bene exercendæ adeptus est. Multorum causas morborum investigavit, sed maxime allectus est studio eorum scelerum, quæ plerumque *delicta* appellantur. Quamvis vocabula, quæ sunt *delictum* et *delinquere*, potius ad omnia quam ad patrata spectare videantur, tamen etiam optimi scriptores Romani eis vocabulis usi sunt ad maleficia quælibet significanda, ut patet e sententiis hisce : « ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset ? » (Ciceronis *De natura deorum*, L. III, 38,

90) ; « Delicta maiorum inmeritus lues » (Horatii *Carminum* L. III, 6, 1). Neque mirum : nam quædam vocabula, sicut maleficium, crimen, facinus, scelus et similia, ab ipsis iuris peritis promiscue usurpata non raro leguntur.

Criminologiæ igitur disciplinæ operam indesinenter dedit Lombroso,

cuius opus maius et pluries editum et multas in linguas redditum inscribitur *De homine scelesto* (anno 1896 quinta editio huius operis in duo volumina dispertiti impressa est apud fratres Bocca, Augustæ Taurinorum).

Medico Veronensi, qui anno 1870 uxorem duxerat Stellam De Benedetti (quinque liberi ex hoc coniugio nati sunt, sed patri tantum tres supervixerunt), persuasum erat in hominibus, qui scelera graviora patraverint, sæpe crania et cerebra anatomice deformia inveniri, sicut ipse e nonnullis scelestorum cadaveribus secatis perspexerat. Is igitur adserebat phreneticos et delirantes et dementes ita esse comparatos non propter aliquas animi perturbationes, sed plerumque ob quasdam cranii et cerebri deformitates sive *anomalias* ; atque his e causis corporeis, quarum sceleratos damnososque agendi modos nullum legum præceptum aut medicinæ remedium compescere valeat, etiam naturam hominis ferinam demonstrari putabat minime sæculorum decursu et rerum technicarum progressu mutatam.

Ab hac doctrina, quæ *atavismus* dicitur, numquam recessit Lombroso, qui v. g. scripsit hæc : « Dementem nullo sensu morali præditum et hominem morbo comitali laborantem inter sese similiores esse inveni quod ad ipsorum crania, oris lineamenta, cordis morbos attinet [...] Præsertim e cupiditate et iracundia, quibus uterque ægrotus admodum indulget, inferre licet eos homines similitudine quadam iunctos esse. Et quoniam eodem in homine sæpe invenitur modo stupor, modo acre ingenium, adducor ut credam hominem hoc præditum ingenio haud differre ab ægroto, qui epilepticus dicitur [...] Crania scelestorum magis cum dementium, quam hominum communium, comparari possunt » (*op. laud.*, vol. II, pp. 56-57 ; p. 187).

Quibus quidem persuasionibus Lombrosianis, sive ipsius sub medicinæ sive sub iuris aspectibus æstimen-





tur, hac ætate nostra pauci viri docti fidem præstant quoniam iidem dubitant num ex aliquibus corporis deformitatibus inferre liceat etiam hominis mentem vitiatam esse.

Ad illiusmodi tamen doctrinas physiognomicas firmandas multa testimonia (i. e. scelestorum hominum crania atque instrumenta; hæc delictis perpetrands aptiora), quæ in museo supra memorato adservantur atque pretiosum sunt criminologicæ disciplinæ repertorium, collegit Lombroso. Qui per totum fere annum 1872 valetudinario dementium Pisaurensi, cui nomen « Sanctus Benedictus », præpositus est veluti psychiater ibique nonnullas ægrotorum condiciones innovavit easque minus infeliciores reddere contendit. Ad latera ianuæ illius ædificii, quod, ob legem quandam anno 1978 promulgatam et præcipientem ut omnia phrenocomia Italica abolerentur (attamen sunt etiamnunc semperque erunt – quidquid a non paucis blaterantur somnatoribus – homines mente capti, scelesti, furiosi, sibimet aliisque periculosi), nunc clausum est, binæ inscriptiones Latinæ adservantur, quarum una ob squa-lore[m] administratorumque Pisaurensium incuriam haud bene legitur. Altera est hæc :

AVCTORITATE PROVIDENTIAQVE/ D. N. LEONIS  
XII P.M./ BENEDICTVS E DYNASTIS CAPPELLET-  
TIS DELEG. PROV. VRBIN. ET PISAVR./ REGVND.  
ÆDIBVS INIVRIA TEMPORVM FATISCENTIBVS/  
PECVNIA MVNICIPIOR. COEMPTIS REFECTIS  
NOVIQVE OPERIS/ ACCESSIONE AMPLIATIS  
QVVM AB OPTIMO INDVLGENTISSIMOQ./  
PRINCIPE SCVT. DCCCC N. VECTIGALIVM  
ITEMQ. CCCC/ RELIQVORVM VETERVM EX  
ÆRAR. REMISSI FVERINT/ VALETVDINARIVM  
BENEDICTIVM DEMENTIBVS RECIPIENDIS/  
ADLEVANDIS BENIGNISSIMO CONSILIO PRO-  
VINCLÆ DEDIT/ ABSOLVTVMQVE APERVIT  
A. MDCCCXXVIII.  
DECVRIA CONSILIARIOR. LAPIDEM  
PONENDVM CENVIT PRID. NON. FEBR.  
A. MDCCCXXVIII.

E variis dementium et scelestorum condicionibus eo in valetudinario degentium quasdam adnotationes Lombroso collegerat, quas postea, dum secundam apparat editionem (a. 1877) libri *De ingenio acutissimo et insano* inscripti, non sine emolumento adhibuit. Putavitque sæpe hominem acri præditum ingenio parum aut nihil ab homine insanissimo differre.

Alioquin Cæsari Lombroso haud dubie notum erat Felicis Platter opus *Observationum in hominis affectibus plerisque, corpori et animo, functionum læsione, dolore aliave molestia et vitio incommodantibus libri tres* inscriptum (Basileæ, a. 1614), quo eximius hic medicus Helvetius nonnullorum mentionem fecerat hominum, qui acre ob ingenium excellabant, sed etiam graviore

dementia identidem erant affecti.

Atque in opere c. t. *De mente et presteribus* Lombroso adfirmavit quosdam eventus sæpius accidere, qui sint « necessarij et immutabiles et tempore certo recurrentes », eosdemque ratione mensuraque prævideri posse. Sed non modo naturalium rerum et hominum vicissitudines haud semper prævidentur, verum non pauca in rebus publicis et privatis eveniunt, quæ hominis ratione attingi, nedum explanari, omnino haud possint.

Utique naturam hominum, quibus innatus sit ad scelera perpetranda impulsus, mutari haud posse pro certo semper habuit Lombroso, qui phrenocomiis instituendis ad eos homines aptis assidue favit. Nam « huic dementium medico persuasum erat scelera non casu accidisse, quoniam per ipsa inconcussum esse demonstraret Plauti hoc : ‘homo homini lupus’. Atque aderebat ius esse cuique societati ut nefaria quorundam hominum natura compesceretur iidemque perpetuo custodirentur », ut scribunt Silvano Montaldo et Paulus Tappero in libro collectaneo c.t. *De Cæsare Lombroso, expletis centum annis ab eius morte* (Utet, Torino, a. 2009, p. 106). Et quamvis haud paucæ doctrinæ Lombrosianæ a nonnullis viris doctis refutentur utpote quæ philosophiam redoleant *Positivismum* vocitatum, tamen de viro illo Veronensi non immerito Baima Bollone cum alia tum scribit hæc : « in quibusdam morbis investigandis præsertimque in causis detegendis, quæ aliquos homines ad scelestia patranda impellunt, inquisitor sui generis unicus fuit Lombroso » (*Op. laud.*, p. 345).

Ceterum inter innumera quæ ipse composuit scripta non raro sententiæ adeo inter sese contrariæ deprehenduntur, ut Duccius Canestrini, qui in Tridentina universitate anthropologiam docet, adfirmet hæc :

« (Lombroso), etsi socialista, multorum culpam delictorum revera miseris adtribuit. Hebræus, doctrinas fovet ad elationem phyleticam spectantes. Rationalismi, qui dicitur, propugnator, manium evocatoribus adsidet, et aliquos eventus, qui præter normam accidunt, auxilio cuiusdam quartæ mensuræ explicat. » [Italice : « Socialista, criminalizza di fatto i miserabili. Ebreo, pone le basi del razzismo scientifico. Razionalista, partecipa a sedute spiritiche, e spiega il paranormale con l'esistenza di una quarta dimensione »]; quæ verba in symbola leguntur c. t. « Index adfirmationum a Cæsare Lombroso absurde prolatarum », die 28 Apr. 2009 edita in actis diurnis, quæ *Corriere della Sera* inscribuntur, p. 42. Sed Ianus Antonius Stella, in alia eiusdem symbolæ parte, laudative scribit : « Numquam investigare destitit Cæsar Lombroso », qui Augustæ Taurinorum, cuius in urbis universitate multos annos medicinam legalem, psychiatriam, anthropologiam criminalem non sine magno discipulorum collegarumque plausu docue- rat, die 19 Oct. 1909 vita actuosissima est functus. ☞

## NICOLAI KLIMII ITER SVBTERRANEVM (I)

– quod legendum proponit Francisca Deraedt –

« Anno 1664, postquam in Academia Hafniensi Autroque examine defunctus eram et Characterem, qui dicitur Laudabilis, suffragiis Tribunalium tam Philosophorum quam Theologorum emerueram, reditui in patriam me accingo, navemque Bergas Norvegiæ ituram conscendo, niveis utriusque Facultatis calculis monstrabilis, at æris inops. Commune mihi fatum cum ceteris Norvegiæ studiosis erat, qui a bonarum artium mercatura deplumes in patriam redire solent. »<sup>1</sup>

Sic incohatur extraordinaria narratio Nicolai Klimii, quam non dubito, bone lector, quin maxima delectatione legas. Ac si quando portenta relata tibi videbuntur esse vix credibilia, memoria teneas eius nepotes præfatione apologetica fidos protulisse testes :

« PETRUS ET ANDREAS KLIMII, THOMÆ KLIMII FILII, MAGNI KLIMII NEPOTES, BENEVOLO LECTORI SALUTEM. Cum ad aures nostras pervenerit, ab incredulis quibusdam in dubium vocari veritatem huius historiæ, ac proinde editorem Itineris Subterranei sinistris passim rumoribus differri, consultum duximus, quo rumoribus mature obviam eatur, novam hanc editionem testimoniis popularium quorundam munire. Testes, quos adducimus, omni sunt exceptione maiores : quippe duos priores Heroi nostro novimus æquales, reliqui prope tempora Klimii vixere, et cuncti antiqua virtute et fide perspicui homines nec fabulas orbi obtrudere nec nubem pro Iunone amplecti solent. »

Auctor huius mirabilis fabulæ, Ludovicus (*Ludvig*) Holberg (1684-1754), sæpe cognominatus « Molière Danus », in regionibus septentrionalibus habetur ut una e maximis gloriis totius historiæ litterariæ, itemque egregium exemplum Europæi cultus civilis, qualis fuit sæculo duodevicesimo. Historicus, philosophus, non solum complura opera de philosophia iuris deque ethica conscripsit, sed etiam triginta fere comædias et fabulam utopicam, de qua hic sumus acturi. Bergis (*Bergen*) natus est, in urbe Norvegica mundo aperta. Hic scriptor vere Europæus ex itineribus in patriam reportavit omnia, quæ ad artes et scientias conferre posse putavit. Altera ex parte ipse etiam sua tradidit ceteris nationibus, nam eius opera pæne omnia sunt in Theodiscum translata, nonnulla etiam in Francogallicum Anglicumque sermonem.

Natus loco non ignobili – avus enim fuit episcopus Bergensis, pater colonellus, mater bono genere nata –, Ludovicus Holberg puer iam tam bene callebat linguam Latinam, ut usque ad finem vitæ memoria recitare valeret, hoc saltem fama fert, totam fere Æneidem



et Ovidii Metamorphoses. Philosophiæ et theologiæ studiis Hafniæ in studiorum universitate peractis, caput studio mundi videndi prædium hereditate acceptum vendidit ut primum in Bataviam proficisci liceret, postea in Angliam aliasque Europæ nationes. Lutetiæ dicitur tam assiduus fuisse mane in bibliothecis, quam in theatris vespere.

Libros tum scribere incepit, imprimis historiam Europæ recentioris, deinde de notitia iuris naturalis, postea paulatim opera magis satirica et comica, in quibus excellebat mirabilemque ostendebat phantasiam. Cum se ad theatrum converteret, ei faverunt condiciones politicæ ; finito enim bello inter Daniam-Norvegiam et Suetiam, Hafnienses burgenses spectaculis delectari avebant. Quamquam rectores universitatis, in qua physicam et mathematicam docebat, indignabantur quod doctus professor descenderet ad popularia, Holberg tum inter quindecim menses quindecim edidit comædias, quorum fontes sunt classici : Aristophanes, Plautus, Terentius, sed etiam comædi temporis renascentiæ Italicæ atque, præcipue, Francogallus *Molière*. Quæ tamen vena post annum 1730 necessario pauperior facta est, cum defuncto regi Friderico IV, qui ei favebat, successisset severissimus Christianus VI. « Tempora, aiebat Holbergius, facta sunt seria. »

Scriptor se tum ad alias disciplinas vertit. In lucem edit, inter alia plurima, historiam Ecclesiæ (a. 1738) et historiam Iudæorum (a. 1742), e quibus elucet auctoris virtutes, quæ sunt sapientia, tolerantia et mens aperta. Studiorum universitatem non iam pudet professoris

ubique illustris : itaque eiusdem fit rector.

Circa idem tempus Ludovicus Holberg aliquatenus mutatur : se enim ad philosophiam magis convertit ac, sicut *Montesquieu* et *Voltaire*, reluctari vult contra religiosos furores et persecutiones religionis nomine factas. Anno 1741, Hafniæ et Lipsiæ sine nomine publicandam curat fictam itineris narrationem Latine conscriptam : *Nicolai Klimii iter subterraneum novam telluris theoriam ac historiam quintæ monarchiæ adhuc nobis incognitæ exhibens e bibliotheca B. Abelini.*

Phantastica narrationis forma, ut mox videbimus, auctori optimam occasionem præbet, qua mores hominum ridendo castiget... Latine, ne devota aula regis Christiani nimium offendatur sententiis libere prolatis.

Successus est ingens : opus statim transfertur in linguam Anglicam, Francogallicam, Nederlandicam, Theodiscam ; anno post, in Danicam ; deinde in multas alias. Ex omnibus Holbergii operibus, iter Nicolai Klimii est ubique clarissimum.

Holberg, quem librorum editiones et prædiorum reditus fecerant divitem, uxorem numquam duxit nec heredes habuit, qua de causa altiorum studiorum factus est Mæcenas.

Inter singularitates, quibus constabat eius indoles, hanc narrare liceat : Holbergius, quamvis rebus amatoriis haudquaquam attraheretur, feminarum tamen commercium libenter quærebat. Eas enim habere colloquia iucundiora : « Inter viros, aiebat, loquendum esset de rebus politicis, ac vinum bibendum ; cum inter feminas nihil habeam timendum, nisi garrulitatem et theam. »

Sed redeamus ad iuvenem alumnum quem initio vidimus domum redeuntem pulchro quidem diplomate ornatum, sed sacco vacuo. « Ita redditus patriæ, doctior quidem, sed non ditior », Nicolaus Klimius, cum volens nolens tempus habeat subsicivum, se studio suo, id est physicæ, totum fere dat, regionemque peragrat naturæ investigaturus miracula. Maxime autem allicitur spelunca quadam profunda, e cuius hiatu levis aura ita emitti solet « ad exemplum respirantis hominis », ut non solum doctorum, sed etiam populi excitet cogitationes, timores et phantasiam.

Nicolaus ergo, non solum curiositate impulsus, sed etiam aliqua spe gloriæ adipiscendæ, omnibus vehementer dissuadentibus tamen constituit in hanc cavernam descendere.

« Obfirmato igitur animo, et præparatis huic expeditioni necessariis, die quodam Iovis, cum serenum atque impluvium esset cælum, egredior civitate paulo post diluculum, quo, rebus peractis, salvo adhuc die

redire in urbem liceret. (...) Euntem comitabantur quatuor mercenarii, qui funes et harpagones, quibus descendenti erat opus, secum ducebant. Recta tendimus ad Sandvicum, per quem commodissime in montem ascenditur. Enixi in cacumen, postquam pervenimus in locum, ubi fatalis erat caverna, fessi molesto itinere paulisper ibi consedimus, ientaculum sumpturi. Tunc animus, quasi instantis mali præsciens, compavescere mihi primum cœpit. Igitur conversus ad comites, ecquis, rogo, aleam hanc prior subire velit. Nemine vero respondente, impetus languescens ex integro recauit : funem aptari iubeo, itinerique ita paratus animam Deo commendo. »

Ac de rebus agendis monet comites : funem, quo est alligatus, desuper remittere oportet usque dum ipso clamante intellegant eundem intendendum esse moxque retrahendum, comitemque ad superficiem reducendum. Sic heros noster descensum suscipit, altera manu restem tenens, harpagonem altera.

« At vix ad altitudinem decem vel duodecim cubitorum descenderam, cum rumpitur restis. Malum hoc mihi innotuit e subsequenti mercenariorum clamore et ululatu, qui tamen mox evanuit. Nam mira celeritate in profundum rapior, et tamquam alter Pluto, nisi quod harpago mihi pro sceptro esset, *Labor, et icta viam tellus ad tartara fecit.* »<sup>2</sup>

Postquam aliquamdiu sic præcipitatus est in atra nocte, Nicolaus lucem et cælum conspiciens primum putat se nescioqua legum naturalium inversione reiec-



tum esse sursum. Neque tamen sol, neque cælum idem est ac nostrum cælum. Itaque tum cogitat se sive vertigine correptum hanc lucem imaginari, sive mortuum esse iamque paradiso appropinquari. Tandem, re attentius perpensa, putat se delatum esse in mundum subterraneum, atque eos verisimiliter recte conicere, qui autumant Terram concavam esse aliumque orbem, aliud cælum aliumque mundum in se continere.

« Et docuit eventus, acu me rem tetigisse. »

Interea vir noster per aera volitans, satellites factus, experientias facit cælestes :

« Attamen cum ad animum revocarem, in oculis meis esse panem (Bergenses vocant *Bolken*, qui figuræ ovalis vel potius oblongæ solet esse), statui e oculis eundem depromere et periculum facere, ecquid in isto rerum statu palato arrideret. Sed primo statim morsu nauseam mihi moturum omne terrestre alimentum deprehendens, tamquam rem plane inutilem abieci. At excussus panis non modo suspensus in æthere stetit, sed, mirabile dictu, circulum minorem circa me describere cœpit. Et innotuerunt mihi exinde veræ motus leges, quæ efficiunt, ut omnia corpora in æquilibrio posita motum circularem sortiantur. Hinc qui tamquam fortunæ ludibrium me nuper deploraveram, fastu tumescere cœpi, intuens me ipsum non solum tamquam simplicem planetam, sed et talem, qui perpetuo stipatus foret satellite, adeo ut inter sidera maiora aut primi ordinis planetas quodammodo referri possem. Et ut impotentiam meam fatear, tantus tunc animum fastus incessit, ut, si obvius habuissem omnes simul Consules ac Senatores Bergenses, cum supercilio eosdem excepissim, tamquam atomos adspexissem, indignosque iudicassem, quos salutarem, aut quibus harpagem meum subicerem. »

At subito, ut aliquando erat exspectandum, post pugnam cum volanti grypo factam « motus circularis, quem nuper descripseram, in perpendicularem denuo mutatur »...

Miser Nicolaus, e sidere factus vulgare saxum meteorum,<sup>3</sup> ad mundum ignotum præceps decidit, satis territus. Levi tamen casu, tamquam in fabula Psyche... spirante Zephyro cæspitis gremio leniter delapsa, in solum tandem deponitur. Nox est. Sidera non esuriunt, ut scimus omnes, at sidereum aluminum, ad humanas infirmitates iterum redactum, iam pænitet se panem nuper abiecisse. Pressus autem somno,

Klimius mox obdormiscit.

« Stertueram, quantum conicere mihi licuit, duas horas, cum horrendus boatus, diu quietem turbans, tandem somnum penitus excussit. Dormientis animo variæ ac miræ oberraverant imagines. (...) Sed cum haud procul stantem viderem taurum, ex eiusdem boatu quietem abruptam conieci. Mox timidos oculos undique circumferens, cum oriente sole, virides passim campos et fecundos videbam agros. Arborea quoque apparuere, sed (mirabile visu) mobiles erant, licet tanta esset aeris tranquillitas, ut ne levissima quidem pluma moveri loco posset.

« Cum mugiens taurus recta ad me tenderet, trepidus fugam circumspiciebam, ac in ista trepidatione arborem haud procul stantem conspicatus, eandem scandere conabar. Sed cum in eo essem, vocem illa edidit teneram, sed acutam et talem, qualis solet esse iracundæ mulieris, moxque quasi palma excussissima colaphus mihi tanta vi inflictus est, ut vertigine correptus pronus in terram caderem. Ictu hoc iam quasi fulmine percussus, ac terrore animam propediem agens, murmura undique audiebam et strepitus, quibus resonare solent macella aut mercatorum basilicæ, quando maxime sunt frequentes.

« Postquam oculos aperiebam, conspicabar totam circa me silvam animatam campumque arboribus arbusculisque obsitum, cum nuper vix sex vel septem apparuissent. Vix dici potest, quantas hæc omnia in cerebro meo turbas excitaverint, et quantum his præstigiis animus commotus fuerit. Iam vigilem me somniare, iam spectris me vexari et malis spiritibus obsideri, iam alia absurdiora mihi fingebam.

« Sed tempus mihi non datum est, automata hæc eorundemque causas excutiendi ; nam advolans mox alia arbor ramum demittit, cuius extremitas sex gemmis, tamquam totidem digitis, munita erat. His iacentem me sustulit ac vociferantem abstraxit, comitantibus innumeris diversi generis diversæque magnitudinis arboribus, quæ sonos ac murmura edebant, articulata quidem, sed auribus meis peregrina, adeo ut nihil præter verba hæc *Pikel Emi*, cum sæpius eadem iterata fuerint, retinere memoria potuerim. Audivi mox per verba hæc intelligi simiam insolitæ figuræ : quippe e corporis mei forma et cultu coniciebant, me simiam esse, quamvis specie nonnihil distinctam a cercopithecis, quos hæc terra alit. Alii pro incola firmamenti me ceperunt, quem alitem per aerem huc apportasse credebant ; id quod olim usu venisse annales huius globi testantur.

« Sed hæc non nisi post aliquot mensium intercapedinem, et postquam linguam subterraneam edoctus

fueram, didici. Nam in præsentis rerum statu præ metu et mentis perturbatione mei ipsius oblitus eram, nec capere poteram, quid de vivis et loquacibus arboribus statuendum, nec quorsum evaderet processio hæc, quæ lente et compositis gradibus fiebat.

« Voces tamen et murmura, quibus undique personabant campi, iram et indignationem quandam indicabant ; et sane non sine gravi causa iram in me conceperant. Arbor enim ista, quam taurum fugiens scandere volebam, uxor erat Prætoris, qui in proxima civitate ius dicebat, qualitasque personæ læsæ crimen adgravaverat ; nam non modo simplicem et plebeiæ sortis mulierem, sed matronam primi ordinis visus sum voluisse palam subagitare : insolitum ac horrendum genti adeo modestæ ac verecundæ spectaculum. »

Klimius nondum scit se delatum esse in planetam Nazar, in quo multa nobis hominibus incredibilia est experturus... ❧

---

1. Textus, qui hic proponuntur, excerpti sunt e præfatione necnon libro primo et secundo operis c.t. *Nicolai Klimii iter subterraneum*, auctore Ludovico Holberg (1684-1754).

2. Ov., *Met.*, V, 423.

3. Meteorum : cf. L. Fromond, *Meteorologicorum libri sex*, Antverpiæ, 1627.



# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (VII)

## VERVS ANTIQVITATIS FINIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Iustiniani somnium occidentale nimii ponderis erat pro Imperii viribus ; nam, dum exercitus ibi occupantur et opes consumuntur, terribiles hostes orientalem Imperii partem aggrediebantur cum a septentrione tum ab oriente.

Sassanidarum dynastia ab anno 502 bellum renovat, quod usque ad annum 628 producet, paucis factis intercapedinibus. Quare iam ab initio sui regni Iustinianus Persarum impetum sustinere debet (527-532) ; eorum clientes, Arabes Lakhmidæ, per Syriam irrumpunt usque Antiochiam (529) ; ducuntur a pagano crudelique duce, qui uno die trucidat 400 monachas Syriacas, in honorem deæ al-Ouzza. Notandum est Imperium quoque habere clientes Arabes, Ghassanidas nomine, qui cum Lakhmidis decertare non desinunt.

Persæ anno 531 novum Magnum Regem habent Chosroen I Anushirvan (531-579), virum strenuum ambitiosumque. <sup>1</sup> Dum Iustiniani copiæ in Occidente bellant, Persæ anno 540 in Syriam irrumpunt Antiochiamque de improvviso opprimunt ; magnam prædam faciunt in palatiis et ecclesiis, quas postea incendunt, ac partem populi Ctesiphontem deportant. Bellum præcipue geritur in Caucaso. Ipse Belisarius Persas vincere non valet. Extenuatis ambobus adversariis, anno 545 oportet indutias facere, quæ compluries renovantur usque ad annum 562 ; tunc pax in quinquaginta annos pangitur, pessimis tamen condicionibus ; nam Iustinianus Magno Regi tributum quotannis debet solvere, dum Persæ manent formidabiles.

Ad limitem septentrionalem res non melius se habent. Anno 540 Hunni Danuvium transeunt et Thraciam, Illyricum Græciamque vastant. Slavi annis 547 et 551 Illyricum populantur ; anno 552 Thessalonica imminent. Anno 559 Constantinopoli iterum minantur Hunni, quos vetus Belisarius repellere valet. Nullus ex his populis in Imperii finibus manet, sed tota Balcania vastata est.

Athanagild, anno 554 rex omnium Visigothorum creatus, Toletum facit urbem caput ; aulam splendidam ibi habet. Bætica non diu manet in Imperii Romani ditione ; Corduba, urbs principalis, a Visigothis anno 572 primum capta, sed paulo post perdita, anno 584 iterum capitur ; intra viginti insequentibus annis omnes Romanorum arces in Bætica expugnantur.

Iustinianus etiam se controversiis religiosis immiscet. Constantinus religionem christianam provexerat, quia sperabat fore ut res Imperii unitati faveret, sed iam eius tempore dissensiones erant inter christianos ortæ. Postea, ut iam vidimus, christianismus ethnicus factus est in Syria, in Ægypto necnon in Armenia ; fovit enim linguam Syriacam, Copticam Armenia-

camque. Hæ regiones, cum ab Imperio minus pendere cupiant, in rebus religiosis quoque secedunt ab orthodoxia Constantinopolitana.

Iustinianus Ecclesiam fovet et tuetur, sed invicem propriam voluntatem ei dure imponit ; se ipsum proclamat imperatorem et sacerdotem. Ut bene succedat eius inceptum Occidentale, servare oportet restitutam cum papa Romano concordiam ; ex altera parte, ad restituendam Orientis unitatem necesse est aliquid concedere monophysitis, qui frequentes et potentes sunt in Ægypto, Syria, Mesopotamia et Armenia. Inter papam, qui exigit ut hæretici vexentur, et Theodoram, quæ suadet ut cum monophysitis fiat compositio, Iustinianus bonam viam vix invenire potest.

Imprimis, ut morem gerat papæ Romano, orthodoxiam imponere vult omnibus Imperii incolis ; quare non solum hæreticos vehementer persequitur, sed etiam anno 529 claudit Atheniensem studiorum universitatem ; nonnulli pagani philosophi, qui fere obscuri ibi docere pergebant, ad Persas confugiunt.

Anno 536 papa Agapetus I (535-536) advenit Constantinopolin, ubi magnifice recipitur ac statim obtinet ut Anthimus monophysita, qui, favente Theodora, Constantinopolis patriarcha factus est, deponatur ; tunc primum in historia Ecclesiæ evenit ut successor legaliter electus consecratur. Synodus episcoporum, eodem anno Constantinopolin convocata, non solum monophysitas condemnat, sed etiam agnoscit imperatoris primatum in rebus ecclesiasticis. Coptici monophysitæ cruenta refringuntur (537-538), ita ut regnum Axumis in Æthiopia secedat a Roma. Postea tamen, anno 543, Iustinianus, ut Theodoræ gratus sit, monophysitas sinit propriam Ecclesiam restaurare atque anno 544 edicto « Trium Capitulum » condemnat inimicos Cyrilli Alexandrini, quem monophysitæ maxime venerantur ; agitur de excerptis operum trium theologorum, qui sunt Theodorus Mopsuestiæ, Nestorii magister, Theodoret Cyrrhi, Nestorii amicus, et Ibas Edessenus, eorum discipulus.

In Oriente episcopi edictum de Tribus Capitulis hac conditione accipiunt, ut papa Romanus id comprobet. Occidentales tamen episcopi ipseque papa Vigilius (537-555) edictum infitiantur, quod habent decretis Calchedoniis contrarium. Quæ cum ita sint, anno 545 Vigilius vi militari Roma Constantinopolin transfertur, ubi septem annos retinetur, inter quos compluries mutat sententiam.

Imprimis enim concordiam reconciliat cum patriarcha Constantinopolitano atque, iudicato de Tribus Capitulis anno 548 dato, Iustiniano satisfacit, qui anno 551 novo edicto Tria Capitula iterum condemnat.

Vigilius autem, cum Theodora anno 548 vita functa sit, propria dicta retractat atque patriarcham excommunicat. Tunc in aliquam ecclesiam confugere debet, ne a militibus trucidetur. Postea se Calchedonem confert, ubi anno 552 epistula encyclica edictum respuit.

Quæ cum ita sint, Iustinianus anno 553 de concilio convocando cogitat. Vigilius, Constantinopolin reductus, suadet ut concilium Romæ, in urbe a Totila modo liberata, habeatur aut in Sicilia; at Iustinianus id sine mora Constantinopoli instituit in Palatio Sacro; occidentales episcopi non invitantur; solum intersunt quinque ex Africa propter ignorantiam electi. Vigilius, compluries accessitus, non vult concilii sessiones participare.

Concilium convocatur sine vera doctrinæ necessitate, cum in quattuor primis conciliis, Nicæensi, Constantinopolitano I, Ephesio et Calchedonio, de omnibus doctrinæ christianæ fundamentis statutum sit, i.e. de Trinitate et Dei natura, de Spiritu Sancto, de Christi natura divina et humana. Iustinianus vero, ut morem gerat monophysitis, inflexam condemnationem decretorum concilii Calchedonensis obtinere conatur, prætextu « Trium Capitulum » utens.

Concilium, quamquam irregulariter convocatum, a Vigilio denique approbatur atque agnoscitur ut quintum concilium œcumenicum, quia præter condemnationem Trium Capitulum omnes definitiones concilii Calchedonii firmiter confirmat. Monophysitæ ergo, qui abolitionem nonnullarum Calchedoniarum definitionum sperabant, valde decipiuntur. Cum Copti in Ægypto, Iacobitæ in Syria perstent in hæresi, Iustinianus eos iterum persequitur.

Pessimi erunt effectus litis Trium Capitulum amplius viginti annos protractæ (543-565). Non solum Iustinianus consensum religiosum in Imperio suscitare non valuit, sed persecutionibus in Syria et in Ægypto sæviter factis Imperii odium et secessionis desiderium auxit. In Occidente Vigili mutabilitas multos episcopos offendit, qui quintum concilium non statim agnoverunt ut œcumenicum; papatus in Occidente in longum tempus debilitatus est.

Iustinianus 87 annos natus est, cum vita fungitur. Imperium exhaustum est. Per totum regnum propter continuam pecuniæ egestatem vectigalia populos magis magisque oppresserunt. Auctoritas publica debilitatur, in provinciis incremento prædiorum feudalium, Constantinopoli perpetuis rixis inter factiones Prasinorum et Venetorum; ubique sævit pauperies. Instant tempora difficilia et calamitosa.

Iustinianus in articulo mortis nepotem designavit ut successorem, qui fit imperator Flavius Iustinus

Iunior Augustus (Iustinus II) (565-578) et uxorem ducit Sophiam, Theodoræ neptem. Sophia videtur heres esse Theodoræ virtutis, quia sine mora Iustinus II ei tradit habenas Imperii.

Narses, qui tota Italia potiri valuit, Constantinopolin revocatur anno 567; quamquam hanc offensam ægre fert, non ipse Langobardos in Italiam accessit, ut solus narrat Paulus Diaconus in *Historia Langobardorum*. In hac historia octavo sæculo de Langobardis conscripta legimus hæc: « Pari etiam modo et Vinilorum, hoc est Langobardorum, gens, quæ postea in Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis originem ducens, licet et aliæ causæ egressionis eorum asseverentur, ab insula quæ Scandinavia dicitur adventavit. » (*Historia Langobardorum*, I) et hæc: « Certum tamen est, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Vinili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam *lang* longam, *bard* barbam significat. » (l. IX).

Anno 569 Langobardorum catervæ, quibus se adiungunt pauciores Gepidæ, Saxones, Heruli et Avars, ducenta circiter milia numero, duce Langobardorum rege Alboino, e Pannonia migrare incipiunt in Italiam, quæ post viginti quinque annos bellorum contra Ostrogothos magnam partem diruta est. Invasores occurrunt urbibus bene munitis et propugnaculis tempore Iustiniani ubique instructis; quare potius in campis se collocant ab incolis separati. Maxima eorum pars est pagana, nonnulli tamen sunt catholici aut ariani.

Post longam difficilemque obsidionem, Ticino (sive Insubrum Papia) potiuntur, quæ fit urbs caput eorum regni septentrionalis (572). Regimen non est stabile; non modo reges sæpe trucidantur, sed etiam fit intercapedo decem annorum sine rege, inter quam Langobardorum parvæ catervæ quocumque vagantur Italiam iterum vastantes. Multi duces magnam potentiam habent; in meridionali Italiæ parte constituuntur duo magni ducatus sui iuris, Beneventi et Spoleti, quos condidisse videntur Narsis Langobardi mercenarii. In ditione Imperii solum manent exarchatus Ravennæ, Pentapolis ad litus Adriaticum inter ostium Padi et Anconam, regio circa Romam, pars litoris Tyrrhenici circa Neapolin et Amalfiam, denique Bruttium et Calabria; omnes hæ regiones ab exeunte sexto sæculo reguntur militari administratione Ravennati. Regio Romana cum Ravennæ exarchatu coniungitur angusto campo secundum viam Flaminiam. Sic Langobardorum invasio Italiæ divisionem fingit, qualis usque ad undevicesimum sæculum perducetur.

Rex Rothari anno 643 curat ut lex Langobardorum



*Partibus Italiæ a Langobardis occupatis  
prænuntiatur territorium futuri Status Pontifici.*

scripto mandetur, quod vocatur Edictum Rothari. Exeunte demum septimo sæculo regnum fit stabile et catholicum ; magnæ mutationes tunc fiunt in Italia ; infeliciter illud tempus propter fontium egestatem nobis non est bene notum. Scimus tamen Langobardos cum Romanis optimatibus non esse cooperatos, contra morem præcedentium barbarorum ; aristocratiam Romanam deleverunt. Romanorum progenies Langobardis paulatim assimilata est, ut ex onomastica patet.

Alia magna calamitas est epidemia pestis, quæ in Ægypto incohata est tempore Iustiniani gradatimque irrepsit in omnes Imperii partes. <sup>2</sup> In Italia magna incolarum pars periit ; in parte meridionali multa oppida derelicta sunt, campi facti sunt paludes. Præterea in reliquis oppidis episcopus ea de causa disparuit, quod Langobardi religioni catholicæ diu fuerunt infesti.

Langobardorum invasio omnium præcedentium fuit gravissima ; septimo sæculo finitur Antiquitas in Italia, oriuntur tempora mediævalia. ☪

1. Vide symbolam « De Sassanidarum imperio » in *Melissæ* fasciculis 110 et 111.

2. Tunc primum chronographi mentionem faciunt bubonis inguinalis aut axillaris, quo agnoscitur morbus quem medici hodierni vocant pestem bubonicam ; eius agens est bacillus « *Yersinia pestis* », quo pulices pungendo rattos inficiunt et necant ; infecti pulices morbum homini transmittunt. Bubo vocatur ganglion lymphaticum tumefactum. Iidem chronographi etiam mentionem faciunt pestis pulmonariæ, quæ contrahitur si *yersinia pestis* spiritu accipitur ab hominibus aut animalibus infectis.



## ORIGINALIS PECCATI TRADITA EXPLICATIO

- scripsit Iohannes van Kasteel -

In fasciculo *Melissæ* anteriore Gaius Licoppe nonnulla decerpit e libro Christiani de Duve, c.t. *Originalis Peccati genetica explicatio*, quæ non dubito quin optime, ut solet, contraxerit et verbis simplicibus explanarit. E quibus tamen iterum patet homines scientificos hodiernos sæpe scientia sua, quamvis ampla et veneranda, tam imbutos esse ut videre vel intellegere nequeant ea quæ alii invenerunt, experti sunt, docuerunt.

Nihil dicam de theoriis modernis quæ pertinent ad molecula, chromosomata, gena, supergena, genomata, « linguam geneticam », etc., quippe quæ omnia numquam ipse oculis meis vidi ; sed sum bonus vir, cui omnino non displicet de omnibus rebus illis *credere fide cæca* !

Mihi ergo eis quoque credere licet qui scientiam omnino aliam (non dico modernæ necessarie repugnantem) se habere autumant ; quorum theorias fortasse paululo melius novi eis frequentius studendo. Loquor de scientia *tradita*.

Persæpe, *immo* pæne semper, fit ut hodierni, non solum scientifici, qualis Christianus de Duve, sed multi alii, opponant « principia religiosa aut philosophica » (scil. antiqua vel tradita) et « scientiam » (scil. modernam), quasi hæc sola esset fundita, illa tantum in fide vel credulitate, licet candida et sincera, consistentent.

Scientia autem tradita vera scientia dicitur, non *credita*, ab illis qui eam se vere *expertos* esse dicunt. Auditores vel lectores suos sæpe exhortantur ut ipsi quoque res dictas *periculo probent*. Licet eis qui experiri nolunt fidem satis ducere : hæc est origo religionis, quæ sequitur scientiam traditam ; cuius periti in traditione Iudaica et Christiana, exempli gratia, « testes » vel « doctores », « sancti » vel etiam « sapientes » vocantur.

Christianus de Duve peccatum originale, « quo denique [humanum genus] ad perniciem ducetur », etiamsi rem ipsam agnoscere videtur, mirum in modum reducit ad selectionem naturalem quæ efficit ut « nimis frequentes facti s[ic]imus in Terra ». Ergo, « quocumque clamandum est *summam [sic !]* quæstionem esse nimiam hominum frequentiam », contra quam « tempus est agendi ».

Quamquam fatendum est multitudinem humani generis crescentem vitæ commodæ obstare posse, satis puerile tamen videtur « summam » proclamare hanc quæstionem ! Quam si solverimus, num humanum genus minus ad perniciem ducetur ? Si minus frequentes facti erimus, num minus moriemur ? Mors nonne est effectus peccati originalis ? Nonne multo melius videtur remedium mortis quærere, optimum autem invenire ?...

Ecce quod de hac re scientia tradita docet :

« Homo, o fratres mei, e substantia indestructibili

et metaphysica necnon e substantia materiali et destructibili constat, ita ut in hoc mundo materia destructibilis teneat quasi in vinculis substantiam indestructibilem et æternam. »<sup>1</sup>

« Ubique in mundo hanc corruptionem invenimus inhærentem materiæ e qua homines formati sunt. Ubique miseria, dolor, morbus, mors ; ubique indigentia, passionis et vitia, diversis formis et modis. »<sup>2</sup>

« Itaque humanitati nulla potest esse spes felicitatis superioris quamdiu illud ens corruptibile et materiale est maior pars substantialis essentiæ eius. »<sup>3</sup>

« Regeneratio nihil aliud est quam dissolutio et expulsio huius materiæ impuræ et corruptibilis, quæ tenet ligatum ens nostrum immortale et tenet immerSAM in somno mortali vitam virium activarum oppressarum. Necessarium igitur est *verum remedium* ut expellatur id *fermentum venenosum* a quo in nobis efficitur malum, et ut vires vinculatæ liberentur. »<sup>4</sup>

« *Fermentum peccati* in nobis est ; in eo constat corruptio humana, necnon propagatio eius una cum effectibus peccati originalis. Restauratio humanitatis solum fieri potest destruendo nostrum fermentum vitiosum ; unde indigemus medico et remedio. »<sup>5</sup>

« In *sanguine nostro* latet *materia viscosa*, 'gluten' vocata, propinquior animalitati quam spiritui. Hoc gluten est *materia peccati*. [...] Hoc fermentum peccati plus minusve in omni homine abundat et a parentibus traditur infantibus. »<sup>6</sup>

« Homines ergo ægrotant quia re vera veneno infecti sunt. Homo de fructu arboris comedit, in quo principium corruptibile et materiale prævalet, et ea voluptate venenatus est. »<sup>7</sup>

« Vera scientia regalis et sacerdotalis est scientia regenerationis, vel scientia religandi hominem lapsam Deo. »<sup>8</sup>

Quid plura ? Tot auctores doctissimi de hac *scientia vera et efficaci* in operibus suis tractant ut fratribus suis remedium mortis proponant ! Sed vulgus vult decipi... Plerique præferunt remedia quærere quæ solvant problemata fugaciora quam mortem certam perpetuamque. ❧

1. K. von Eckhartshausen, *La Nuée sur le sanctuaire*, Paris, 1965, p. 102.

2. *Ibid.*, p. 109.

3. *Ibid.*, p. 111.

4. *Ibid.*, p. 115. Secundum etymologiam traditionalem, *venenum* dictum quia « per *venas* vadit » (cfr Isidorus, *Etymologie*, XII, 4, 41), id quod ab auctore mox illustrabitur.

5. *Ibid.*, p. 122.

6. *Ibid.*, p. 126.

7. *Ibid.*, p. 129.

8. *Ibid.*, p. 135.

## DE NOVIS LIBRIS

P. DELABY, J. DUFAUX, *Murex et aurum. Liber primus Murena*, in Latinum converterunt C. Aziza et C. Rousset, Dargaud Benelux, 2009.

Statim in procemio translatores, quorum bene notus est animus usui sermonis Latini infestus, « turiferos vivæ Latinitatis » aperte derident explicantque scopum huius operis solum esse pædagogicum.

Eo magis miramur stilum inconcinnum mendaque nonnumquam crassa, quorum exempla sufficiant hæc pauca : « K.O. ! » (quæ non est locutio Latina : intellegendum est « confectus est ») ; « Non iam movet » ubi aliquis cum sit mortuus non iam movetur ; « strepitum quendam audire credideram », ubi accusativus desideratur cum infinitivo ; « duæ dentes fractæ sunt », cum omnes discipuli sciant dentes esse masculini generis.

ISBN 978-2-5050-0687-9



Ceterum pulchri et docti libri, ut solet, nuper prodierunt e Domo Erasiana ([www.erasmushouse.museum](http://www.erasmushouse.museum)) :

R. GORRIS CAMOS, A. VANAUTGAERDEN, *L'Auteur à la Renaissance*, Turnhout, Brepols - Musée de la Maison d'Érasme, Gruppo di studio sul Cinquecento francese, 2009, 655 p.

ISBN 978-2-503-52839-7

H. LAMPAERT, *Épitome typographica*, Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme - Erasmushuis, 2009 (textus de arte typographica Francogallice et Nederlandice conscriptus).

ISBN 978-2-930414-29-4



Et apud Vivarium Novum ([www.vivariumnovum.it](http://www.vivariumnovum.it)) permulti et optimi eduntur libri scholastici, compositi ratione Orbergiana nunc nemini non nota ; inter quos hi duo cum magistris tum discipulis procul dubio placebunt :

R. E. GIANGOIA, *P. Vergilii Maronis Bucolica Carmina*, Montella, Edizioni Accademia Vivarium Novum, 2008, 116 p.

Introductio Latine conscripta de Vergilio eiusque vita deque Bucolicis Carminibus. Vita Vergilii incerti auctoris, quæ sub Donati nomine ad nos pervenit. Excerpta e Servii grammatici in Vergilium commentariis. Eclogæ multis explicationibus (Latinis) et imaginibus ornata. Index vocabulorum et nominum.

ISBN 978-88-95611-11-2

A. BARBONE, Ἐφόδιον, *Antologia di autori greci*, Montella, Edizioni Accademia Vivarium Novum, 2007, 93 p.

Introductio Italice conscripta. Æsopus, Euangelia, Menandri sententiæ, Alexandri fabula, philosophi.

Vocabulorum index Græco-Italianus.

ISBN 978-88-95611-12-9





# *In hoc fasciculo !*

*De usu linguæ Latinæ* [G. Licoppe] p. 1  
*De laude funebri Leopoldi II* [V. Jenniges] p. 2  
*De Cæsare Lombroso* [V. Ciarrocchi] p. 6  
*Nicolai Klimii iter subterraneum (I)* [H. Holberg - F. Deraedt] p. 8  
*De Romano imperio orientali (VII)* [G. Licoppe] p. 12  
*Originalis peccati tradita explicatio* [I. van Kasteel] p. 15  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : Leopoldus II (1835-1909) Belgarum rex.*

---

## Mox e Melissæ domo editoria

primus prodibit liber novæ cuiusdam seriei ; est enim sub prelo :

### *Anthea*

sive

Henrici Sienkiewiczii fabula 'Eamus ad ipsum'

a Petro Angelinio Latine versa

quam denuo edidit atque illustravit  
Theodericus Sacré



Quam, docte lector, si boni consulueris,  
alia opera sequentur in serie hoc titulo signata :

### *Pluteus neolatinus*

sive

Scriptores Latini  
qui floruerunt ab anno circiter MDCL ad MCML  
selecti atque illustrati

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
Banque ING : 310-0644994-30,  
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

